

Michael Cobabus Jakob Hoge

Disputatio Prima De Natura & Constitutione Philosophiae Civilis

Rostochii: Richelius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729612082>

Druck Freier  Zugang



R U phil 1644

Michael Gobabus 325

Jacob Hojius Rep



In Nomine S. S. Trinitatis
DISPUTATIO PRIMA
De 68.
NATURA & CON-
STITUTIONE PHILOSO-
PHIÆ CIVILIS

Quam
Assistente Divina gratia
Consensu Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ
in alma ad Varuum Academia

SUB PRÆSIDIO
M. MICHAELIS COBABI
Sternbergâ-Megapol.

Publica diſquiſitioni ſubjicit
JACOBUS HOGIUS
Hamburg.

In Auditorio Majori ad diem 2. Octobr.
horu matutini.



ROSTOCHII
Literis Johannis Richelii, Sen: Typ.
ANNO M. DC. XLIV.

DISPUTATIO I.

De

Natura & constitutione Philosophiæ Civilis.

I,

Perlustravimus hactenus in disputationibus publicis naturam & ambitum illius Disciplinæ, quæ testante Philosopho est Philosophia Prima, & Scientia, quæ contemplatur Ens quæ Ens. Nunc porrò progredimur, & animum nostrum adjungimus ad Philosophiam Practicam, auspicientes cum bono Deo Disputationes Ethicas. Cum enim Philosophia dividatur in Theoreticam & Practicam, usus postulare videbatur, ut illius parte præcipuâ cognitâ, huius quoque natura & indoles rectè perciperetur. Cujus si spectamus utilitatem, quam habet in vita communi & privata, non possumus, quin eam multoties amplectamur, & crebrò exosculemur. Etenim non divitias, quæ possessoribus sæpissime sunt detrimento & exitio, neque honores, propter quos multi, quòd illos temerè concupiscunt, vituperantur; sed felicitatem, ad quam sapientes jùgiter adspirant, & actiones suas omniaq; consilia referunt, proponit, & vivis coloribus depingit. Quemadmodum Medicina ægrotis exhibet Pharmacum, ut morbum, quo corpus tentatur, removeat: Sic Philosophia Practica, ut totius humanæ vitæ magistra, animi curam gerit, eiùsq; appetitus & actiones ita componit, ut dum injustitiæ, iracundiæ, avaritiæ, & simili cuidam vitio salutarem adfert medicinam, homo rectè institutus vitam suam, quantum per naturam in præsentī humanæ vitæ statu fieri potest, feliciter transigat, & longissimè distinguatur ab illis, qui perperam educati feris evadunt deteriores. Nam quemadmodum homo, inquit Aristoteles, si omnibus suis partibus & numeris perfectus, absolutusq; sit, multò cæteris animantibus

A 2

ante.

antecellit : Sic si à lege & iustitia remotus sit, nulla ferarum fraus est tanta, nulla malitia, quæ possit cum eius malitia contendere. Nam cum iniustitia armis instituta sit horribilis maximè, homini quæ à natura quasi arma quadam data sint prudentiæ ac virtutis, quibus in contrarias partes plurimum uti possit; nihil eo, si virtute vacet, potest esse sceleratius, nihil denique ad libidinem & intemperantiam abjectius. De Philosophia morali igitur in posterum distinctè agendum erit. Benignissimus Cæli Pater adsit nobis suâ gratiâ.

2. Principio autem explicanda est vocis notatio. Nam *πρώτως δὲ ἐξελάξεν τὰ ὀνόματα πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν.* Notamus igitur huius vocis (a) Etymologiam, derivatur enim Philosophia, *ἐκ τῆς φιλεῖν τὴν σοφίαν*, ut secundum vocis originem nihil aliud sit, quam amor sapientiæ. Quam ob causam sapientes Philosophum vocârunt Studiosum sapientiæ. Quo nomine vocari malebat Pythagoras, existimans vocabulû sapientis cõditionem hominis planè superare. Sermonem igitur socians cum Leonte Philistiõrum Principe, se non sapientem; sed Philosophum esse aiebat. Cui sententiæ facillè subscripsit Plato in Phædro, ut scientiam suam, omniumque mortalium esse imperfectam, Deo autem perfectissimam, luculenter ostenderet. Quod ipsum hodie lubenti animo imitatur tota sapientum caterva, qui ingenij imbecillitatis memores se non sapientes appellant, sed Philosophos. Dicitur autem Philosophia moralis ab interna dispositione vel habitu, qui oritur ex assuetudine, atque est firmus, & constans; quippe per quem ita operamur, ac si per naturam operaremur. Un versa enim hæc Philosophiæ pars ex hominum more pender, & occipata est in illorum moribus rectè informandis, ut humana actio fiat secundum virtutem, illamque sequatur Civilis felicitas; unde iure optimo dici meretur Philosophia Practica & Civilis. Quam vocem etiam observavit Philosophus in inscriptione communi, dum universam Philosophiam, quæ circa actionem versatur, civilem appellat: Quanquam hæc vox communis interdum contrahitur, ut vel solam partem tanquam Principem de moribus significet; vel etiam denotet duntaxat libros de Republ: qui propter

pter usum dicuntur Civiles. (2) Æquivocatio & Synonymia. Accipitur enim vocabulum Philosophiæ 1. pro omni arte, scientia & doctrina. 2. Pro Philosophia Theoretica. (3.) Pro sola Metaphysica, 4. Pro illo habitu, qui includit omnes Disciplinas reales, & à facultatibus superioribus distinguitur. 5. Pro parte illa, quæ dicitur Civilis, Practica, vel Moralis. Atque hæc significatio hoc loco est attendenda. Sic enim dicitur methodus assequendi felicitatem, magistra humanæ vitæ, recta ratio agibilem, habitus prudentiæ.

3. Voce explicatâ progredimur ad ea, quæ in Proœnio disciplinarû pertractantur. Hæc tribus absolvuntur membris præcipuis. dicitur Existentiâ 2. Definitio. 3. Divisio. Existentiâ quod attinet, nemo inficiabitur, dari actum quendam formalem, vel formam accidentalem, quæ per modum in hærendi in intellectu humano existit, ut peculiaris habitus & Disciplina, quæ vocatur Philosophia Civilis. Nam vixerunt antehac & adhuc sunt sapientes, qui hujus beneficio monstrarunt, quomodo actiones humanæ sint instituendæ, & dirigendæ, ut cum virtute sint conjunctæ. Quamvis igitur multi inter Philosophos Barbaros, & Græcos sapientes antiquissimos videantur imprimis operam dedisse doctrinæ speculativæ, non tamen inde sequitur, quod Philosophiam Civilem insuper habuerint. Dicit quidem Xenoph: l. 1. de Socrate. Non enim de rerum natura, ut quam plurimi alij, disputabat, nec quemadmodum, qui à Sophistis mundus vocatur, se habeat, ille considerabat, nec quâ necessitate singula illa fiant, quæ in Cælis sunt; sed qui his contemplandis vacarent, stolidos esse demonstrabat. Ipse vero de humanis semper disputabat, considerans, quid pium, quid impium sit, quid honestum, quid turpe, quid justum, quid injustum, quid sobrietas, quid insania, quid fortitudo, quid timiditas, quid civitas, quid politicus, quid sit hominibus dominari & qualis esse debeat, qui alijs præsit, & de cæteris hujusmodi: quæ qui scirent, bonos & honestos esse dicebat: mancipia verò justè appellari, qui ea ignorarent.

4. Hinc autem non sequitur, quod Socrates fuerit author Philosophiæ Civilis; quanquam Val. Max. l. 3. c. 4. dicit illum pri-

num fuisse, qui ab indoctis erroribus abductum animum suum ad intima conditionis humanæ, & in secessum pectoris repositos affectus scrutari coëgit. Nam antiquorum sapientum ingenia non semper vagabantur in cæca disputatione de mensura quantitatis moruum Cælestium, Solis, Lunæ, & reliquorum syderum; sed etiam illa sæpissime meditabantur, quæ spectabant ad meliorem vitæ humanæ institutionem. Quod probant ipsorum aurea præcepta. Thales Milesius, qui rebus cælestibus strenuam & accuratam dicitur navasse operam, percontanti quid esset difficile: se ipsum, respondet, nosse. Idem rogatus quid esset facile: alterum, dicit, admonere: omnes recta consilia ægrotis danus. Interrogatus quomodo quis optimè justissimeque viveret: Si, inquit, quæ in alijs reprehendit, ea ne faciat ipse. Ex quo apparet, antiquos Philosophos etiam tractasse Philosophiam Civilem. Hujus beneficio Aristoteles poterat nobis præscribere modum acquirendi virtutem, methodum assequendi felicitatem temporalem, modum institutionis humanæ vitæ, atque acquirendi genuinam & promptam judicandi facultatem. Cicero in specula stabat, & providebat, fore, ut propter hominum pugnandi cupidorum insanias orbis terrarum imperijs distributis arderet bello, urbs esset sine legibus, sine judicijs, sine jure, sine fide, & relinqueretur direptioni & incendijs. Consilio enim nihil proficiebat, serò venerat, solus erat, rudis esse videbatur in causa.

5. Quâ formâ accidentali non sunt instructi illi, qui virtutem haut perspectâ & cognitam habent, illudq; negligunt, in quo totius humanæ vitæ consistit felicitas, & propterea temerè vel casu quodam decernunt pertinentia ad optimam vitæ humanæ institutionem, tranquillam Reip: constitutionem, & prosperam curæ Domesticæ operationem. Quod autem hæc forma accidentalis sit peculiaris disciplina, illud sufficienter patebit ex partibus illius principalibus, uti sunt Subjectum operationis, instrumenta, & finis; de quibus erit agendum in ipsa tractatione.

6. Existentiâ sequitur Definitio, illâ enim cognitâ, Intellectus humanus rei quidditatem distinctè cupit cognoscere. Alcinous teste Picolomineo Philosophiam Civilem definit, quod sit
virtus

virtus in contemplando & agendo posita, cujus institutum est civitatem bonam beatamque efficere, sibi ex omni parte consentientem. Quæ Definitio non sine causa rejicitur, cum non conveniat cum sua norma, quæ est methodus definitiva: Quia 1. est angustior suo definito, & convenit duntaxat parti Philosophiæ Civilis. 2. Utitur genere æquivoco non enim per virtutem, sed per certam speciem habitus Philosophia civilis erat definienda. Quinque enim sunt, inquit Aristoteles, quibus animus verum enunciat, vel affirmando vel negando: Ars, scientia, Prudentia, Sapientia & Intelligentia. 3. Minus rectè dicitur, quod in contemplando & agendo posita sit, quomodo enim ejus natura potest consistere in contemplatione, cujus finis, à quo desumitur denominatio non est Theoria, sed Praxis. Quemadmodum igitur usus Disciplinarum speculativarum non facit, ut appellentur practicæ; ita quoque cognitio præceptorum in Philosophiâ civili non efficit, ut appelletur speculativa.

7. Eustratius in principio moralium Nicomachiorum inquit: Disciplina de moribus est species moralis Philosophiæ, quæ versatur in morum hominis compositione. Ratio rei familiaris, est species moralis Philosophiæ, quæ familiæ, cohabitantiumque in eâ, constitutionem considerat. Civilis est Species Philosophiæ Practicæ, quæ de Civitate, degentiumque in eâ, æqua ac concordî administratione pertractat. Quæ definitiones iterum repudiantur. 1. Quia sunt Definitiones non totius Philosophiæ Practicæ existentis ut una simplex disciplina; sed partium, quæ sese non habent ut integræ disciplinæ sed ut partes integrales, 2. Confundit terminum artificialem vel notionem secundam cum notatione prima Non enim hîc queritur, an Philosophia moralis sit species, de illa questione agitur in Disciplina rationali; sed an sit habitus & Prudentia.

8. Picolomineus ait: Civilis Scientia est Philosophia humana actiones componens ex naturæ internâ commotione, sapientisque animi fecunditate orta, ut in omni vitæ gradu honestum attingamus, summoque civili bono pro facultate fruamur. Quam Definitionem propterea non admittimus, quod Definitum sit termi-

1115

nus æquivocus. 2. Idem per idem definiatur, cum enim per civilem scientiam hic intelligatur Philosophia civilis, idem est ac si dicerem, Philosophia Civilis est Philosophia. 3. Philosophia non sit Genus proximum & univocum. Quemadmodum, n. nõ dicitur, Astronomia est Philosophia, quæ contemplatur quantitatem motuum caelestium; sed potius, Astronomia est Scientia, &c. Ita quoque non dicendum erat, Civilis scientia est Philosophia, (nam Philosophia non est totum prædicabile, cui ut pars subjectiva directè subiciatur Philosophia civilis) sed Philosophia civiliter est qualitas, est habitus, est Prudentia. Qualitas enim de illa in linea recta generum & specierum prædicatur ut genus summum, habitus ut remotum, prudentia ut proximum. Cum enim habitus intellectualis dividatur in quinque partes subjectivas; per illam Philosophia Civilis erat definienda, quæ univocè de ea prædicatur. Jam autem talis species non est ars, nam hujus nomen & definitio Philosophiæ Civili nequiquam convenit. Disponuntur quidem artes & habitus prudentiæ per Methodum Analyticam: Conveniunt quoque in Genere remoto & summo: in se autem præcisè considerata maximè differunt; siquidem sunt disparata & diversæ species; imò artes non illam merentur dignitatem, ut inter Philosophiæ partes referantur; quia illarum finis neque est *θεωρία* neque *πράξις* sed *νῦνσις*, quæ plerumque non tam propter se, quam propter aliud, expetitur. Philosophia autem eiu: quæ partes omnes propter se ipsas desiderantur.

9. Quemadmodum igitur Philosophia Civilis non est ars, ita quoque non potest esse scientia, sapientia, vel intelligentia; quia horum habituum natura & proprietates ei planè denegantur. Relinquitur igitur, ut sit Prudentia. Hæc proximè & univocè prædicatur de Philosophia Civili, quæ non tantum immediatè est prudentia, sed etiam habitus vera ratione ad ea agenda idoneus, quæ vitæ hominum conducunt. Quibus cognitis, Philosophi Civiles & prudentes non possunt esse, qui tanquam improbi, astuti, & callidi, illo pessimè abutuntur, quo non quærendum erat proprium commodum, & proximi damnum, sed potius istud, quod
 erat

erat honestum, & virtuti conveniens. Dicimus Igitur quod Philosophia Civilis sit prudentia, ad bonum Civile consequendum.

10. Hæc Definitio constat 1. genere proximo & univoco, quod est Prudentia, per quam non intelligimus illam, quæ est eminens, & perfecta, quæ principium, & causa omnium rerum non sine admiratione cuncta moderatur, dirigit, & gubernat, neque istam, quæ dicitur naturalis, quæ creaturæ irrationales, ut formicæ grana colligentes, & apes favum conficientes, &c. ea faciunt, quæ aliàs quoque vir prudens efficeret; sed humanam, quæ cum virtute morali conjungitur, & est aliena ab omni calliditate & versutia. Hæc terminos præscribit actionibus nostris, illasque reddit formosas, & est instar nautæ puppim gubernantis, ut maneat salva & incolumis à naufragio. Hinc appellari meretur Magistra docens ex omnibus elicere bonum. Auriga facultatum animæ nostræ: via Regia ad honestum ducens; Acies mentis, quæ finem inspiciens rectè dirigit ordinata in illum Exemplar & Regula, secundum quam operans, quando illam longo rerum usu, & experientia sibi acquisivit suas actiones dirigit & instituit 2. Differentia constitutivâ desumptâ à fine, quod fit in istis disciplinis, quæ disponuntur per methodum Analyticam, qualis etiam est Philosophia Civilis. Etsi enim Picolomineus ordine synthetico illam proposuit & optimo jure id fieri ausus est contra Zabarellam defendere; Obstant tamen rationes firmiores, quò minùs hanc sententiam approbemus atque defendamus. Quemadmodum igitur artes omnes effectrices tradenda sunt ordine Analytico; ita quoque per eundem Philosophiam Civilem disponendam esse statuimus.

11. Definitionem sequitur Divisio. Partiuntur vulgò Philosophiam Civilem in tres distinctas disciplinas, quarum prima agit de moribus, ut Ethica. 2. de Republ. ut Politica, 3. de cura domestica & re familiari ut Oeconomica. Fundamentum huius divisionis dicitur esse virtutis in vita privata exercitium, & optima Reip. & curæ domesticæ administratio. Quomodo autem hoc

B

probe

probetur, quòd in Philosophia Civili tres peculiare, & distinctæ constituendæ sint disciplinæ, illud nondum potest constare. Conceditur quidem, quòd per Philosophiam Civilem dirigantur actiones singulorum, civitatis, & rei familiaris, atq; propterea illius pars integralis alia sit Ethica, alia Politica & alia Oeconomica. Nunquam autem concedi potest, illas partes existere ut distinctas disciplinas.

12. Quemadmodum in cæteris disciplinis duplex rei consideratio putà generalis & specialis non facit distinctas disciplinas; sed tantum partem generalem & specialem unius disciplinæ: Ita quoque subjecti, instrumenti, & finis duplex consideratio hoc loco non efficit diversas disciplinas; sed partem generalem & specialem. Pars generalis agit de illis, quæ dirigunt actionem humanam, quatenus simpliciter dicenda est virtuosa & honesta. Pars specialis agit de illis, quæ dirigunt actionem humanam, quatenus dicenda est honesta vel politicè aut Oeconomicè & propterea iterum dividitur in Politicam & Oeconomicam.

13. Hæc Divisio nititur suo fundamento, siquidem in omni disciplina testante Philosopho & recta ratione tradenda sunt 1. communia & generalia 2. specialia. Si est speculativa debet habere subjectum contemplationis principia, & affectiones communes. Sin verò est Practica vel Effectiva, subjectum operationis, finem & instrumenta communia. Quod videre est ex natura & constitutione omnium disciplinarum. Quam ob causam Aristoteles quoque in libris de moribus egit de summo bono hominis quamvis vitam agentis.

14. Quibus cognitis non possumus subscribere illius sententiæ, qui dicit universam Philosophiam civilem tradi in libris de moribus, & libros de Rep. non esse illius partem nisi ex eventu, & ob hominum pravitatem. Etsi enim in illis traduntur pertinentia ad Magistratum & leges, quæ falsò dicuntur esse conditæ tantum propter homines improbos & malitiosos, Nam conferunt (ut Arist.

Arist. inquit lib. 10 Moral. Nicom:) tribus conditionibus hominum 1. illis, qui ad honestum parati sunt, ut cognoscant, quæ servanda quæve cavenda sunt. 2. illis, qui non amore virtutis; sed formidine poenæ honestum amplectuntur; 3. illis, qui nequeunt corrigi, ut eliminentur, & extrudantur; non tamen inde sequitur quòd in istis non contineatur pars Philosophiæ Civilis, nisi velimus concedi, quòd etiam libri de moribus non totam Civilem Philosophiam, neque illius partem contineant, Nam si homo in rebus contingentibus perfectè operaretur & quidem naturaliter: nulla opus esset formâ accidentalî, quæ intellectui inhaereret, & facultatem appetentem perficeret.

14. Neque illum juvat, quod Aristoteles in libris de moribus egit de omnibus requisitis & partibus, quæ disciplinam aliquam constituunt; non enim de illis egit ibidem secundum utrumque modum considerandi; sed saltem secundum modum communem & generalem. Ex quo sine difficultate colligitur, non integram disciplinam, vel totam Philosophiam civilem absolutam in libris de moribus, cum etiam requiratur ad perfectam disciplinæ constitutionem partium & requisitorum specialis notatio.


15. Relinquimus etiam illam divisionem, quâ Philosophia Civilis dividitur in partem Theoreticam & practicam. Nam si illi non sine fundamento corriguntur, qui dicunt Astronomiam & Arithmeticam dividi in partem speculativam & practicam; quis illam disciplinam in se suâque naturâ rectè consideratam, cuius finis adæquatus est *ἡ ἀρετή* partiretur & secaret in partem speculativam & practicam. Nam quòd quis non habet in illud quoque non potest dividi. Jam tota natura Philosophiæ Civilis consistit in agendo E non potest ex parte consistere in contemplando; & per consequens eius pars altera non est Theoretica.

16. Tandem quoque huc non potest referri illa divisio,
qua

qua Philosophia Civilis dividitur in Dogmaticam (quæ tradit doctrinam de moribus generalem, dum virtutis profert definitiones, divisiones, proprietates & alia huc pertinentia) Paræneticam (quæ præcepta proponit hominem ad bene vivendum informantia, qualia à sapientibus sunt tradita: ut Nosce teipsum. Virtutem cole; Honora parentes, & similia) Characteristicam, quæ virtutum & vitiorum definitiones quasi in tabula quadam cognoscendas exhibet & proponit. Aliud enim est considerare Philosophiam Civilem secundum diversum tradendi modum olim à sapientibus observatum, & aliud est quarere, quomodo sit dividenda in partes immediatas & proximas.

17. Atque hæc est brevis delineatio naturæ & constitutionis Philosophiæ Civilis, cujus si quis cupit esse auditor idoneus, oportet ut rectè sit educatus, & sciat discrimen honestorum & turpium, habeatque iudicium constans ac firmum. Qui autem pessimè vivunt illndque sedulo agunt, ut per ea sibi laudem & honorem acquirant, à quibus natura & recta ratio abhorret. quæque Ethnici saniores semper & ubique fuerunt detestati; illos non tantum ineptos auditores, sed etiam orbi inutiles esse arbitramur. Quocirca invitantur ad audiendum Hesiodi Carmina dicentis.

Optimus est, sese qui novit cuncta Magistro
Prudenterque capit, quæ semper sunt meliora.
Ille etiam bonus est, alium qui recta monentem
Audit, & inventis ponit vestigia lætus.
At cui consilium sua nec prudentia donat,
Inducitque animum voces contemnere veras,
Ille quidem invisus divis, & inutilis orbi est.



erat honestum, & virtuti conveniens. Dicimus
Philosophia Civilis sit prudentia, ad bonum
directum.

10. Hæc Definitio constat 1. gene-
rali, quod est Prudentia, per quam non intelli-
gitur eminentia, & perfecta, quâ principium, & causa
non sine admiratione cuncta moderatur, dirigitur,
que istam, quæ dicitur naturalis, quâ creaturæ
membra grana colligentes, & apes favum confici-
entem, quæ alias quoque vir prudens efficeret; sed hæc
virtute morali conjungitur, & est aliena ab
intellectu. Hæc terminos præscribit actioni
reddidit formosus, & est instar nautæ puppim
neat salva & incolumis à naufragio. Hinc ap-
pugnata docens ex omnibus elicere bonum. A
nimæ nostræ: via Regia ad honestum ducens
finem inspiciens rectè dirigit ordinata in illum
la, secundum quam operans, quando illam lon-
gè perierit sibi acquisivit. suas actiones dirigit
ferentia constitutivâ desumptâ à fine, quod
quæ disponuntur per methodum Analyticam,
Philosophia Civilis. Etsi enim Picolomineus ordi-
ne proposuit & optimo jure id fieri ausus est con-
fendere; Obstant tamen rationes firmiores, &
tentiam approbemus atque defendamus. Quæ
artes omnes effectrices tradenda sunt ordine
que per eundem Philosophiam Civilem dis-
tinguimus.

11. Definitionem sequitur Divisio. Phi-
losophiam Civilem in tres distinctas disciplinas
de moribus, ut Ethica. 2. de Republ. ut
domestica & re familiari ut Oeconomica. F
divisionis dicitur esse virtutis in vita privata ex
Reip. & curæ domesticæ administratio. Quæ
B



the scale towards document

Philosophia
quæ
uni-
est
erum
ne
for-
ciunt,
cum
ate &
asque
ma-
Ma-
am a-
quæ
Regu-
& ex-
Dif-
linis,
Phi-
illam
n de-
c fen-
gitur
quo-
sta-
Phi-
agit
cura
huius
prima
hoc
probe